



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem  
Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum, Confessorum atque Virginum, qui dirum pestilentiae malum à suis Clientibus diuina ope propulsarunt, aut eadem ardenter ignem in corumdem corporibus restinxerunt.

**I**ta hoc Diarium meum Sanctorum contra pestem Tutelarium concludo, iterumque novo voto pro me omnibusq; illo utentibus, Deo Tutelari per eorumdem suffragia supplico.

Omnipotens & misericors Deus, supplicibus tuis misericordiam tuam clementer impende: vt qui peccatis nostris, Maiestatem tuam grauiter nos offendisse confitemur, gloriose Virginis & Dei Genitricis Mariæ, sanctorumque Rochi, Antonij, Christophori, Sebastiani, Hadriani, & omnium electorum tuorum intercessione ac meritis, à pestis contagione, fame & bello, tua benignitate seruemur. Per Christum Dominū nostrum. Amen.

---

Beda lib. 3. historia Anglorum c. 27.

**E**Delhun & Ecgbert cū essent in monasterio, quod lingua Scotorum Rathmelfigi appellatur, & omnes socij ipsorum vel mortalitate de saeculo rapti, vel per alia essent loca dispersi, correpti sunt ambo morbo eiusdem mortalitatis, & grauissime afflitti. E quibus Ecgbert (sicut mihi referebat quidam veracissimus & venerandæ canitie presbyter, qui se hæc ab ipso audisse perhibebat) cùm se aestimaret esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo, in quo infirmi quiescebant, & residens solus in loco opportuno, coepit sedulò cogitare de actibus suis, & compunctus memoria peccatorum suorum, faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel preteritas negligentias, quas in pueritia sive infancia commiserat, perfectius ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus abundantius exerceret. Vouit etiam votum, quia adeò peregrinus viuere vellet, vt numquam in insulam, in qua natus est, id est, Britanniam rediret. quod præter solennem canonici temporis psalmodiam